



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Symma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Primus. Quid sit Aspiratio & quae eius conditio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

V. Quod meditatio ab Aspirante subinde utiliter resumenda sit.

VI. Synopsis status Aspirationis.

VII. Despiritali profectu, duratione, & transitu ab Aspirationis ad contemplationis statum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Aspiratio, & qua eius conditio.

**A**spiratio est expeditus affectus erga Deum, ut summum Bonum. per hoc quod aspiratio habet affectum ad diuina, conuenit cum omnibus actionibus mysticis, quae quoquo modo Dei amorem pro fine statuunt: At quia expeditus est affectus, differt a meditatione quae tardiùs, & longiori cursu, sive illatione, amorem Dei exprimit. Vnde etiam aspiratio meditatione præstantior est; tum quia citò diuinum amorem consequitur, tum quia maiori, & puriori amore fruitur, atque expedito aspirationis affectu breuiter, & alijs atque alijs suspirijs succendentibus fruitionem continuat: licet contemplationis amplissima spatia, cum firmo intuitu nondum assequatur.

Puro ergo, & explicito aspiratio-  
nis vsu ingeminat illud Prophetæ: *a* Quemadmodum desiderat cœrus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. sicut enim ignis in spi-  
nis, ita exardescit illius ardor mentis: non ita tamen, ut semper adiunctam habeant aspirationes deuotionem sensibilem. *[Sanctorum enim animæ lo-*  
*quuntur Deo, dum quidpiam deside-*  
*rant, b magnus eorum quippe clamor,*

magnum est desiderium. Vnde Propheta: Desiderium cordis eorum audiuit auris tua.] [nam si desiderium csermo non esset, Propheta non diceret; desiderium cordis eorum audiuit auris tua. magnum desiderium est magnus clamor. tanto ergo minus clamat quis, quanto minus desiderat, & tanto maiorem vocem in aure incircumscripsi spiritus exprimit, quanto se in eius desiderio pleniùs fundit.] per aspira-  
tiones ergo nos in Dei præsentiam sta-  
tuimus, & absenti nos coniungimus.  
[ipsum enim boni principium d quidem omnibus præsens est, non tamen ei præsentia sunt omnia: sed cum eam & sanctis precibus, & tranquilla mente, & apto ad diuinam coniunctionem animo appellamus, tum denique nos etiam ei præsentes sumus.] facilius itaque, turiusque diuina videmus, si men-  
tis aciem ad eloquia sacra conuertimus,  
quam si in ipsum Deum audentius diri-  
gamus. Ex pio autem hoc studio duo quædam potissima reportamus; pri-  
mum quidem, quod diuinos radios hinc haurimus nostro ingenio congruentes: secundum quod diuinum so-  
lem radiorum eiusmodi sacrorum fon-  
tem (ut Deo placet) ritè laudamus. Ut autem copiosior fructus ex aspiratio-  
num exercitio subsequatur, dicimus  
consequenter,

H 2

Aspi-

*a Ps. 41. b S. Greg. l. 2. mor. c. 6. c S. Bonav. 2. itin. ar. d. 4. d S. Dion. de dinin. nom. c. 3.*